Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26207
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Lector diligenter intuetur hec uerba apostoli. et expositionem sanctorum super eadem. et animaduertet quomodo tam heresis sabelliana quam arriana destruitur hic manifeste.

Portansque omnia uerbo uirtutis sue. Queritur quomodo dicatur omnia uerbo portare deus. cum ad proprietatem uerbi non pertineat portare. similiter an omnibus subsit. et non potius presit. et supersit. ut ea portare dicatur. Solutio. Ideo uerbo potius quam uirtute dei omnia portare. ut importando id est continendo et gubernando et conseruando. nullum laborem siue difficultatem intelligatur sustinere. qui omni re est interior. quia omnia sunt in ipso. et omni re est superior. quia ipse est super omnia. et omni re est antiquior. quia ipse est ante omnia. et omni re est nouior. quia ipse est post omnia id est post omnium initia.

Sedet ad dexteram maiestatis. Lecta[?]tus in excelsis. Hic expositor quod homo assumptus est sublimatur usque ad patris equalitatem. que intelligitur per dexteram. Sed ideo queritur an concedendum sit quod homo assumptus equalis sit patri. Sed cum filius dicat pater maior me est. quod intelligendum est secundum id quod est assumptum. quomodo in eisdem idem est equale patri. cum filius secundum id minor sit patre. Solutio. Homo ille inquantum est homo. minor est patre et non equalis. inquantum uero homo assumptus est deus filius dei non est minor patre sed equalis. Videndum est itaque quid de quo dicatur. et secundum quid. Quia-

ens sermo occurrit de christo. Sed tamen multi qui non concedunt quod homo assumptus sit deus. ut iam supra dictum est.

Tanto melior angelis effectus etc. Queritur secundum quam naturam hic loquitur de christo. Quod autem secundum diuinitatem melior sit angelis. nulla questio est. Sed tamen angelis non est melior effectus secundum eam potius natura[?]. Propter hoc itaque quod dicit effectus. cogimur hoc intelligere de christo secundum humanitatem. scilicet quod melior sit angelis effectus. Sed hinc uidetur esse contrarium quod inuenitur in psalmo. minuisti eum paulominus ab angelis. quomodo secundum eandem naturam potest esse angelis melior et minor? Solutio. Minoratus est ab angelis carnis mortalitate et passione. et eisdem maior et melior est gratie plenitudine. de qua et ipsi angeli accipiunt.

Ego hodie genui te etc. Hic dicit aliquis quod hic potest intelligi de die illo quo christus natus secundum carnem dicitur. tamen intelligitur de eterna ipsius generatione. Unde dicit genui. ne noua intelligatur. hodie. ne preterita. et sic innuit esse eterna in qua nichil est preteritum. quia desierit. nec futurum. quia nondum sit. Sed idem potest queri. quomodo hoc de temporali christi generatione ualeat exponi. cum deus pater christum non genuit secundum naturam humanam. Sicut enim christus non habet matrem secundum deitatem. sic nec patrem secundum humanitatem. Cum ergo non sit ei pater secundum hanc naturam. quomodo potest dici quod